DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO CHIRURGICO-MEDICA *,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIX.

M°. JOANNE-BAPTISTA-JOSEPHO THÉRY,
Doctore Medico, Præside.

AN SUENDI TENDINES?

I.

MORBOS desidiæ & luxuriæ sobolem non ineptè dixeris: ast eheu! exercitatio & temperantia plurimos quidem arcent, non vindicant ab omnibus: corpus etenim humanum iis non solùm laborat affectibus, quos perversùs rerum nonnaturalium usus invehit, sed & externarum injuriâ lacessitur, quandoque ineluctabili. Hinc θεραπευτικὴ, practica Medicinæ pars, non unâ, sed multiplici instruitur armaturâ, variisque telis diversos hostes confodere aggreditur. Interioribus potissimùm morbis Diætam legitimâ victûs ratione curantem adhibet; externis sæpiùs Chirurgiam, nunc nudæ, nunc ferro igneve armatæ manûs artificiosâ actione pugnantem, opponit; utriusque ut plurimùm Pharmaciam invigilantem medicamentorum compositioni & administrationi. Non ideò tamen crederis has Medicinæ partes ita à se invicem esse separatas, ut singulæ, cæteris otiosis, optatos effectus præstare valeant. Omnium individua connexio, necessaria conspiratio, nec nisi in omnibus exercitatum Medici titulo insignire licet. Quî, quæso, vulneri, ulceri, externove cuicumque affectui medebitur, cui ritè perspectum non erit an medicamentis instituenda curatio, an ad ferrum ignemve deveniendum, quomodò demum & quo tempore singula, quorum opus erit, admovenda? Nec Chirurgis hæc committenda extra Medici aleam esse iniquus garriat detractator. Mediti id omne juris est, quo & imminentes avertuntur morbi, & præsentes profligantur. Ablegandi ergò, inutiles Chirurgi? Minimè gentium. Prosit consilio Medicus, auxiliatricem dexteram porrigat Chirurgus; huic operanti consultus ille semper adsit. Hac concordiâ ægrorum optimè consuletur saluti. Sic à partibus exquisitissimo sensu donatis inutile ferrum arcebitur. Sic exulabunt opera ob *Symptomatum* ferociam formidanda, vix ac ne vix quidem nonunquam perficienda, incassùm semper tentanda.

II.

OPUS omne Chirurgicum vel ad συνθεσιν, vel διαιρεσιν, vel ἐξαιρεσιν pertinet. Prima contra naturam divisa conjungit; altera dividit continua; tertia quidquid extraneum, vel intus collectum est, vel extus immissum, extrahit. Triplicis hujusce operis præstantissimum, naturæ consentaneum maximè, & cæterorum quasi coronis, σύνθεσις varia pro diverso munere fortitur nomina: nunc enim ossa fracta componit, & συνθετικὸς, nunc eadem nativis emota sedibus reponit, & ἀρθρίμβολος Græcis dicitur. Aliàs contra naturam, absque ullâ divisione, prolapsas molles partes restituit, τάξις tunc nominata;

* Propug. ann. 1742.

eaſdem demum cum continui ſolutione læſas committere aggreditur, tunc què συντέτρωσις commune nomen retinet. Ut autem partium ſauciarum texturâ, ſitu, officio diſcrepantium, à variis diverſorum corporum inſultibus, unitas ſolvitur; ſic hujus reſtituendæ non unica, nec eadem ſemper eſt ratio. Levioribus cutis & ſubjectæ adipis vulneribus, feriante arte, natura ſola cicatricem plerumque inducit; ubi verò in ipſas carnes, vel altiùs penetravit vulnus, naturæ medicatricis quandoque inanis eſt opera, niſi ab auxiliariâ arte impedimenta removeantur. Hæc inter plurima Chirurgi manum frequentiùs expoſtulant, 1°. cruoris profluvium, vel largâ ejuſdem ex diversâ parte miſſione, vel impoſitis aſtringentibus medicamentis, vel vaſis è quibus erumpit aut compreſſis aut ligatis ſupprimendum. 2°. Intus hærens corpus extraneum, vel eâ parte quâ venit, aut eâ ad quam tetendit, aut digitis educendum, aut variâ forcipe apprehendendum extrahendumque. 3°. Denique diducta nimiùm vulneris labia, vel debitâ ſauciatæ partis collocatione, vel deligatione, vel ſuturis, nunc genuinis, nunc ſpuriis ſive ſiccis, adducenda continendaque. In horum verò promiſcuè nuſquam uſurpandorum delectu habendo, ut & in omni Chirurgico opere, partium ſtructura cynoſuræ locum ſemper tenere debet, abſtinendumque ſedulò, quantùm fieri poteſt, à partium nervoſarum læſione, hanc etenim dolor & inflammatio ſæpe ſæpiùs excipiunt, & quod maximè dolendum, convulſio, quam ſupervenientem vulneribus lethalem pronuntiat Hippocrates, Aphor. 2. Lib. 5. Nullum etiam opus Chirurgicum tentandum eſt, quin illud utiliter inſtitui poſſe conſtiterit; aliàs etenim vel imperitiæ labes Chirurgico inuritur, vel interdùm ægri quem morbus peremit occiſi ſpeciem ſubit, ut in carcinomatis mox iterùm germinantis infauſtâ abſciſſione, vel gangrænâ ab interiori humorum vitio ortâ, artûs vitiati amputatione non ſemel contigit.

III.

NULLAM eſſe corporis humani partem, cujus compages ab externâ vi labefactari non poſſit, & uno ore fatentur omnes, & oſſium fragilitas ipſa teſtatur. Hac in molles partes irruente infligitur vulnus, quod ſtrictè ſumptum definitur, partium corporis mollium cotinui ſolutio, recens, cruenta, ab externo inſtrumento orta. Pro variâ inſtrumenti vulnerantis qualitate & actione, pro diversâ conditione partium læſarum, pro naturâ, modo, & figurâ vulneris, innumeræ propemodùm hujus extant differentiæ & appellationes. Ejuſdem cauſæ vel tyronibus obviæ ſunt. Signa item oculis ſubjecta facilè habentur, ſi in ſummâ parte plaga ſit; ſed ubi penitùs penetravit, quid intùs ſit ictum non ita facilè dijudicatur. Id autem, quod ignorare piaculum, indicant vulnerantis teli genus, vulneris ſitus, ſpecilli exploratio, excretionum natura, ſupervenientia demùm, ſingulaque propria cujuſque partis *Symptomata*. Verùm ut ex his omnibus ritè perſpectis, & inter ſe collatis vulneris genus dignoſcendum, ſic ex iiſdem attentâ præſagâque mente ponderatis præſagiendus exitus; ante omnia enim ſcire Medicus debet, monente Celſo *, quæ inſanabilia ſint vulnera, quæ difficilem habeant curationem, quæ promptiorem. In eorum numero, quæ ſanabilia grave periculum portendunt, ingenſque curanti negotium faceſſunt, non immeritò à veteribus Medicis reponitur percuſſus Tendo, incerto forſan nervi vocabulo, ob ferè ſimilem ſuccedentium utrique ſauciato *Symptomatum* catervam, ab iis paſſim appellatus. Is non ſecùs ac cæteræ corporis humani partes vel ab inſtrumento acuto pungitur, vel à ſecante inciditur, vel à gravi obtuſoque contunditur, vel multifariam læditur. Tendinis quadamtenùs ſecti, aut lacerati contuſi-ve, præter ſedem indicem, communes ferè hæ notæ ſunt. Dolor vehemens non ſolùm partem affectam, ſed & quandoque remotas excruciat, inflammatio pariter exercet ni ocyùs ſuccuratur, in gangrænam deſinens, febris accenditur, quam delirium aut convulſio excipit; his aliquandò accedunt animi deliquium, ſuſdeque dejectio, aliaque id genus peſſimi ominis. Præciſo tendine nihil ex his ſuboritur, ſed partis, interdùm pendulæ, motus perit Ubi punctim Tendo vulneratus eſt, protinùs ampliandum vulnus, in idque infundenda medicamenta calida & penetrantia balſamicis permixta, verbi gratia, oleum terebinthinæ cum ſpiritu vini, vel balſamum *Fioraventi* & *Copahu*

* *Lib. 5. c. 26.*

tum oleo ovorum ; cataplasmatis repellentibus, resolventibus & anodynis recreanda pars affecta; sanguis largâ manu mittendus; diæta tenuis prescribenda. Eâdem propemodùm arte levioribus Tendinum incisionibus, lacerationibus, & contusionibus medendum : at si maximam partem secti vel lacerati, graviter ve contusi occurrant, aut inanem medelam *Symptomatum* ferocia superet, tunc ex omni parte resecandus est Tendo, futurâ nusquam committendus : hac enim nullatenùs quandoque, incassùm semper instituendâ, molestius delicatissimam partem afficiente, quæ Tendinis sectio pacaverat, denuo recrudescunt symptomata.

I V.

SENSUS acie nervos cæteris corporis animati partibus præstare apud omnes in confesso est. Cum autem hos & læsos Tendines haud absimile prodat malorum agmen, acutissimum quoque sensum Tendinibus obtigisse facilis est conjectura : penitùs verò explorata ipsorum structura omnem prorsùs scrupulum eximit. Quid enim Tendo? Funiculus est, ut ita dicam, Nervo continuus; sive universarum fibrarum, tum nervosarum, tum carnearum, quibus musculi contexuntur, invicem adunatarum candicans densaque productio & coagmentatio. Jam verò cum partium sensus ab intertextis staminibus nervosis pendeat, patet funiculos illos ex totidem fibris compactos, ac musculi quorum sunt appendices, ratione molis, uberrimo staminum nervosorum proventu irrigati, proindeque exquisitissimo donari sensu. Quæ, quàmque horrenda puncto, maximam partem secto aut lacerato, contuso-ve Tendine, invadunt *Symptomata*, hæc eadem, quâcumque arte hoc futo, perimescenda sunt. Cur etenim primò, in utroque secti Tendinis extremo, semel vel bis, ut quibusdam placet, infixæ actûs puncto adeò graviter non afficeret, ac pugionis, sicæ, aliûs-ve instrumenti prætenuis mucro? Deinde laceratio & incisio tendinis ideò tam atrociter excruciant, tantasque edunt strages, quod superstitis integræ partis, musculorum nisui jam imparis, fibræ nervosæ ultra modum distentæ, concussæ vividiùs, mox disrumpendæ, impressum sibi motum propriis musculo nervorum furculis communicent, inde ad cerebri penetralia propagandum. Quis autem facilè non percipit ab importunâ injecti vinculi duritie fibras comprimi & concuti, à jugi ipsius morsu easdem scindi & dilacerari, transversasque potissimum, quibus in longum excurrentes connectuntur, quæque solæ, peractâ futurâ, musculorum contractioni obnuntur? Denique cum ad validiùs constringendam continendamque futuram, pinnæ, vel linteï, aut panni serici, cerâque liti, obvolutorum densæ laciniæ utrique fili promptu est. Sileo vellellarum, ad apprehendenda, adducendaque dissita Tendinum capita, excogitatarum immanem usum. Quid porrò ex his omnibus? nisi dolorem acerbissimum, febrim, delirium, convulsionem, aliaque propria affectorum Tendinum accersiri *Symptomata*, quæ non-nisi futurâ nonnumquàm cheu! serò nimis laxatâ sedantur. Exitiosum adeò opus aggredi quis jam non exhorrefcat? Pernicici, quam secum trahit comitem, illud insuper accedit, quod secti Tendinis capita, si longiùs sub cutem callosa recesserint, vel ortâ suppuratione, aut aliâ de causâ ingens adfuerit substantiæ dispendium, ad se invicem coèusque numquam accedant, ut futurâ semper inutili possint committi : semper inutilem dico : nam eatenus tantùm utilem esse rectè notat Celsus *, quatenùs suenda pars ducens filum quasi suâ sponte subsequitur. Si verò sine vi sic promixa sibi fieri possint Tendinum capita, absque futuræ periculo adduci posse, adductaque contineri, & glutinari, non modo, rationi consentaneum, sed & experientiâ compertum est.

* Loco indic.

V.

MUTUO sesti Tendinis extremorum contactui, proindeque hujus glutinamento nihil magis obstare, quàm innatam Musculis vim versus suam originem sese contrahendi, concedatur. Quid inde concludendum? Quid ad hanc vim futura confert? Nihil sanè : imò fibras nervosas molestè sollicitando, Musculorum contractioni promovendæ apta magis videtur. E contrario parte in eo situ collocatâ quem, quàm maximè

contracto Muſculo, cujus tendo reſectus eſt, obtinuiſſet, ſi inſuper Muſculus faſciâ circumductâ, ne longiùs, firmetur, vulneriſque oræ glutine ſeu futurâ ſiccâ contineatur, ſic, inquam, ſecti Tendinis capita, quàm proximè adducta committi, & contineri poſſe omnibus perſpectum eſt. Nec tamen ea tanto impetu, quantùs vulgò jactatur, ſub cutem refugere credendum eſt: nam præterquam quod muſculi omnes circumfuſis partibus annectuntur, manûs Tendinum, quorum gratiâ futura potiſſimum inventa videtur, vaginas *Perioſtio* firmiter adhærere anatomicâ ſectione compr batur. Demum ſi qui Tendines futuram expoſtularent, ii maximè, qui craſſiores, robuſtiſſimorum plurimorumque Muſculorum communes ſunt appendices, illos verò, hac omiſsâ, reſtitui, præter plurimas obſervationes, probat apud Sinenſes frequentiſſima craſſiſſimi omnium Tendinum abſque ignoto futuræ artificio integra reſtitutio. Apud illos mos olim fuit latronum Achillis Tendinem, ſive Hippocratis chordam magnam præſcindere, forſan ut à claudicantium incurſu faciliùs caveretur, iterumque in futuro deprehenſis promptiùs injicerentur manus: at ex quo compertum eſt illorum plurimos perfectè convaluiſſe, ſuprà & infrà reſecatur Tendo, interjectaque ſectioni pars eximitur, ſicque ſupplicio affectis integræ ſanationis ſpes omnis adimitur. Si quis jam antiquum illud opus, ab illuſtriſſimis viris probatum, & celebratum fuiſſe objiciat; ipſius inter ortum & funera breviſſimum tempus antiquitùs interfuiſſe reponimus. Nec autoritatem autoritate refellere nobis arduum. Avicennæ, Guidoni à *Cauliaco*, aliiſque ipſorum ſententiæ aſſeclis, opponere poſſumus Galenum, Pareum, Petrum *de Marchettis*, alioſque bene multos formidandum opus improbantes, cujus operâ ſi quoſdam ſanari contigit, eoſdem non minùs feliciter, hoc omiſſo ſanandos fuiſſe contendimus. Nec ſimul cum Tendine conſutâ cute, ut hiſce temporibus fieri conſuevit, tutior fiet futura, cujus vanitatem incerta & parùm conſtans hujus inſtituendæ methodus arguit. Fato igitur ſuo relinquendi, quorum, ob vulneris vetuſtatem, calloſi Tendines longè ſub cutem fugerunt? ita ſanè: ſatius eſt enim unius partis motum depravari, etiam aboleri, quàm horrendis diu fruſtraque vexatum *Symptomatis*, ſupremum obire diem.

Non ergò ſuendi Tendines.

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Guillel.-Joſephus DE L'EPINE, *Antiquior Scholarum Magiſter, Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Cenſor.*

M. Raymundus DE LA RIVIERE.

M. Ludovicus-Gilbertus BOYROT DE JONCHERES.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes D'ARCET, *Profeſſor Regius, Academiæ regalis Medicinæ Matritenſis Socius.*

M. Hugo GAUTHIER, *Conſiliarius Regis Medicus.*

M. Ludovicus-Maria POUSSE, *Eques & Cenſor Regius.*

M. Franciſcus THIERY DE BUSSY, *Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ſupremo Senatu Pariſienſi.*

M. Nicolaus JEANROY, *Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.*

M. Antonius CASAMAJOR, *Cenſor Regius.*

Proponebat Pariſiis JOANNES GROZIEUX DE LA GUERENNE, è Monte Lucio apud Boïos, Doctor Medicus Monſpelienſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. A. R. S. H. 1779.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1779.